


05

A

535





DISSERTATIO HISTORICO-
PHILOLOGICA

De

UNCTURA
CHRISTI SEPUL-
CRALI,

QVAM

EODEM IPSO AUSPICE,

IN

ALMA LEUCOREA,

SUB

PRAESIDIO

VIRI PRAECELLENTIS ATQVE

CLARISSIMI,

DN. M. CHRISTIANI FASELTI,

SERENISS. ELECT. SAX. ALUMNI, AMPLISSIMAE FA-

CULTATIS PHILOSOPHICAE ADJUNCTI MERITISSIMI,

PRAECEPTORIS ATQVE FAUTORIS SUI OBSERVANDI,

PUBLICAE ERUDITORUM VENTILATIONI EXHIBET

ADAMUS U^S / PLAVIA-VARISCUS,

AUCTOR ET RESPONDENS,

AD DIEM HEBDOMADIS MAGNAE VI. QUI EST IX. APRILIS,

HORIS POMERIDIANIS

IN AUDITORIO MAJORI.

Typis MICHAELIS Wende/

ANNO M. DC. LXIX.

W. Henke



05 A 535



IN NOMINE SALVATORIS NOSTRI
CRUCIFIXI!

PRAELUDIUM.



Vàm diversi ritus à diversis hinc inde populis in *curandis defunctorum corporibus* observati fuerint, abundè norunt illi, qui antiquitatum monumenta non fugitivò perlustrârunt oculò. *Colchi* enim (aliquos saltem ut tangamus) in more habebant positum, defunctos suos suspendere de arboribus. *Lothophagi* abjecerunt eos in mare, ut à piscibus absumerentur: *Sabaei* sive *Nabathaei* in sterquilinia, aeqvè ac stercus defunctorum corpora ducentes. *Hircani*, *Taxili*, *Cassii* & *Parthi* canibus, bestiis & vulturibus devorandos projecerunt. *Chii* & *Romani veteres* comburere eos, ossaque eorum in mortaria contundere & in pulverem resoluta per cribrum ad ventorum flatus dispergere consueverunt. *Aegyptiis* contrà persuasum fuit, ignem esse belluam animatam, & omnia, quae nascantur, devorare, & postquam devorando fuerit expleta, unà cum ipsa re devoratâ emori; ideoqve mortuorum corpora igni tradere noluerunt, sed morem condiendi eadem amplexi sunt. Consueverunt a. illi, si Baronio (a) fides hâc in re habenda, hunc in modum curare defunctorum corpora, ut oculos imprimis & ora clauderent defuncto, ac fasciâ stringerent, capillos tonderent, corpus lavarent, unguentis ungerent, hisqve delibutum linteis cadaver obvolverent, sicqve curatum ponerent in sepulcrum. Et ex his praecipuè *ungendi ritus defunctorum corpora* apud Judaeos tandem invaluit adeò, ut ab ipsis etiam in *sanctissimo Christi corpore* fuerit adhibitus. Quum autem haec ipsa septimana, quâ vix ulla sanctior, sacratissimum SALVATORIS NOSTRI funus dignè, ceu par est, contemplandum nobis exhibeat; meritò temporis rationem habere, & isti quid conveniens liberalioris exercitii gratiâ in medium adferre volumus.

(a) lib. 1. *an-*
nal. 34. n.
135.

Potuissemus equidem varias, & ab his diebus haud alienas, materias in proscenium disputationis producere, & *διότι* instituire de antiquorum funerum ritu; de ritu flagellandi apud Judaeos aequè ac Romanos; de ritu crucifixionis Christi Romano; de ritu scindendi vestes; de sepulcro Christi; de morte Judae, proditoris Christi, & innumeris aliis. Sed quùm has omnes aliasq̄ve plures ab aliis eruditioribus egregiè ventilatas conspexerimus; de unctura Christi sepulcrali, quam Evangelista Johannes (b) nobis suppeditavit, in praesenti agere collibuit. TE verò, SALVATOR UNCTE, votis imploramus supplicibus, ut & nos oleò sanctissimi TUI Spiritus benignè velis inungere, quò hoc institutum caeteriq̄ve labores nostri cedant undiq̄ve feliciter!

(b) c. XIX.
38. 39. 40.

CAPUT I.

De

Ritùs corpora defunctorum ungenti origine.

POSITIO I.

ANtequam ad thema propositum nos accingamus, de unctio-
ne in corporum defunctorum cura adhibitâ ejusdemq̄; origine non-
nulla praemittere, ab instituti nostri scopo haud alienum fore ju-
dicavimus.

II. Evolventibus autem nobis antiquitatum volumina, & replicantibus veteris aevi memorias, statim occurret, ritum ungenti defunctorum corpora non heri, aut nudius tertius fuisse ortum, sed antiquissimis temporibus suos debere natales.

(c) lib. XIII.

(d) c. V. p.
73. de sepul-
tura Vet.

(e) lib. I. c.
7. p. m. 55.
de Funer.
Rom.

(f) lib. I. c.
& p. m. 60.

(g) lib. XIII.

3.
(h) lib. I.

III. Hic verò cum Plinio non digladiabimur, quoniam tem-
pore ungenta fuerint inventa; neque etiam stabimus ab ipsius par-
tibus, quando ungenta temporibus Iliacis planè ignorata dicit. (c)
In eo enim Magnum Virum hallucinatum esse, Magnus Dn. D.
Qvenstedt (d) & C. L. Kirchmannus (e) satis perspicuè ostendunt.
Sed unctiois hujus originem cum Kirchmanno (f) jure merito ad
Aegyptios deferimus, ex ea ratione, quia Aegyptus aliàs terrarum
omnium accommodatissima & ungentis herbisque gloriosa à Plinio (g) celebratur. Aegyptios n. cultum singularem cadaveribus, tanquam animarum domiciliis, quas nimirum immortales esse credebant, exhibuisse, Herodotus (h) haud obscurè innuit. Ideò etiam maximâ sollicitudine saliebant istâ, variisque aromatum ac un-
gven-

unguentorum generibus imbuta condiebant. Quumque in privatis aedificiorum constructionibus essent *parcissimi*, in curandis a defunctorum corporibus erigendisque sepulcrorum molibus *ambitiosissimi* (i) palmam, si fides scriptoribus adhibenda est, in toto terrarum orbe sibi jure merito vendicarunt. Videatur Paulus Aringhius in Roma Subterrenea. (k)

(i) *Vid. Dio. Sicul. Bibl. hist. l. 1*

IV. Ipsorum ritum tribus saltem verbis tangit Plinius, (l) *Aegyptiis, inq̄uens, mos est, cadavera adservare medicata* h. e. uncta & condita aromatibus. Pluribus verò eundem describit Athanasius Kircherus in Oedipo Aegyptio (m) ubi ait: qui funera mortuorum curabant, eo exercitio à majoribus tradito funeris impensam domesticis descriptam ferebant, scrutantes, quanti vellent celebrari funus. Conventione factâ corpus ejus tradebatur, ut juxta impensam curaretur funus. Primus Grammaticus (ita enim adpellatur) posito humi corpore signum circa ilia describebat, quantum à sinistra parte incideretur. Deinde qui dicitur scissor habens lapidem Aethiopicum, quantum lex sinebat, latus aperiebat, subitoque cursu à prosequantibus, qui adstant, lapidesque cum execratione in eum jacentibus, fugiebat. Existimabant enim odium inhaerere, quicumque amici corpus vulnere illato violârit. Curatores verò corporis, quos Salitores adpellant, honore existimationeque digni habebantur. Utebantur enim sacerdotibus, templaque pariter ingrediebantur. His penes cadaver adstantibus unus per scissuram corporis interiora praeter renes & cor educebat; quae singula alter vino Phoeniceo è rebus odoriferis lavabat, deinde corpus totum primùm è cedro, tum aliis pretiosis unguentis ungebant dies amplius triginta; myrhâ deinde ac cinnamomo caeterisque rebus liniebant, quae non solum id servare diuturnè, sed odoriferum reddere valerent.

(k) *l. 1. c. 23.*

(l) *l. 2. c. 37. in hist. nat.*

(m) *com. ac.*

l. syntagm.

2. c. 2. p. 123.

V. Quamquam verò morem admovendi aromata cadaveribus ab Aegyptiis Ebraei mutuati sint, ut colligere est ex c. L. 2. Genes. ubi illustrissimus Aegypti Princeps, Josephus, servis suis Medicis praecepit, ut corpus defuncti parentis, Jacobi, aromatibus condirent; modus tamen condiendi mortuos fuit diversus. Aegyptiorum enim conditura *intrinsecus* fiebat ventre exenterato & cerebro per nares extracto, quod Graeci *ταριχσεν* nominabant. Judaei verò unguenta & aromata corpori *extrinsecus* adplicabant, ut

refert

(n) *contv.* refert Ifaacus Cafaubonus. (n) Modum condiendi Aegyptiacum
annal. Ba- Herodotus, vetuftiffimus Graecos inter hiftoricos, qui hodiè ex-
ronii exerc. ftant (o) & Diodorus Siculus (p) copiofè ac eruditè fatis describunt.
 16. §. 112. p. Nobis curiofo rerum antiquarum fcrutatori loca digitò praemon-
 762. ftrasfe fufficiat. Sed *ἄλλα μὲν ἄλλοις.* Nos pedem nunc ad alia
 (o) *lib. II.* promovemus.
 (p) *l. 1. n. 19.*

CAPUT II.

De

Ritus hujus conditione.

POSITIO I.

(q) *Coel.*
Rhodig. A.
L. l. 15. c. 2.
 (r) *hom. in*
v. 2. c. 26.
Matth.
 (s) *p. 80. c. 5.*

Conditionem *subjecti* fi difpiciamus, & in eos, ad quos uncturae feralis honos pertinuerit, paululum inquiramus,prehendimus, non ad infimi fubfelli homines, quos Graeci *κρασπεδί-
 τας* adpellant, hunc honorem fpectaffe, fed ad eos faltem, qui regio ftemmate decorabantur, aut praecipuo praefulgebant honoris titulo. Conftat enim uncturam hanc feralem *nobilitatis* fuiffe *indici-
 um*, ac, ut Cicero fcribit, cautum lege, ne fervi in funere ungerentur. Id quod etiam ex L. L. XII. Tab. *servilem uncturam* prohibentibus *ὀφθαλμοφανῶς* elucefcit. Et Coelius obfervavit (q) *locupletum & nobilium modo funeribus adhiberi folitam cuprefum.* Hinc etiam Eucherus, Lugdunenfis Epifcopus fcribit (r) morem hunc antiquitus viguiffe, *ut nobilium corpora* fepelienda ungerentur & cum aromatibus fepelirentur. Vide Magnificum Dn. D. Qvenstedt copiofè, ac, ut folet, eruditè hac de re differentem in loco fuperius à nobis allegato. (s)

II. Et haec ipfa confuetudo mortuorum corpora liberaliter odoribus unguentisque perungendi à Judaeis ad Christianorum tandem manus pervenit, ita, ut defunctorum corpora pretiofis quibusque aromatibus condita unguentisque uberrimè delibuta tumulo tandem demandarentur.

II. Praeterea etiam hic ipfe ritus in hodiernum usque diem apud Imperatores, Reges Principes aliosque Magnates obtinet, ut corpora exenterentur, & fragrantiffimis aromatibus impleantur. Cujus illufre nobis exemplum porrigit Justiniani Imperatoris funus, omni magnificentia atque admiratione dignum, cujus exequiarum augustam aequè ac munificam pompam Corippus Africanus

Gram-

Grammaticus pereleganter versiculis hisce describens consuetum prae se tulisse morem narrat: (t)

*Tura Sabaea cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo,
Centum aliae species, unguentaque mira teruntur,
Tempus in aeternum sacrum servantia corpus.*

Mitto hinc Cedrenum, qui locum, ubi conditi multi Constantino-
politani Imperatores essent, *μυρέλαιον* vocat, ab unguento & oleo
medicamentorum. Corpus Caroli M. aromazatum esse, refert mona-
chus Engolismensis in vita Caroli Magni.

IV. *Conditionem materiae* quod spectat, cuius, qui vel per
transennam Historicorum monumenta inspexerit, de facili consta-
bit, unguenta illa, quae in *unctura mortuali* à Veteribus adhibe-
bantur, ex variorum aromatum speciebus confecta fuisse. Condi-
bant enim cadavera *myrrhâ, aloë, cedro, melle, sale, cerâ, bitumi-
ne & resinâ*, ut hanc condimentorum seriem recenset Alexander ab
Alexandro. (u) Quorum omnium naturam, vim & efficaciam hinc
adponere, pagellarum angustia non patitur. Eas qui nosse cupit,
consultat Magnif. Dn. D. Qvenstedt (x) & CL. Kirchmannum, (z)
ad quos studiosum antiquitatum Lectorem remisum volumus.

V. Ex his verò praecipuè *myrrha & aloë* corporibus condien-
dis adhibebantur, eò quòd exsiccent, humiditates absument, & ama-
ritudine suâ vermibus & putredini resistent. Et in ipsis sacris lit-
teris aromatum praestantissimum, (cei Junius transtulit) *myrrha
ingenua* dicitur. (a)

VI. His etiam ab aliis aliae adhuc adnumerantur species,
quae in hac cadaverum conditura attendebantur, ut sunt *nitrum,
opobalsamum, gypsum, calx* aliaeque plures. Aethiopes n. *gypso*
suos mortuos iam arefactos induxisse, testis est saepe laudatus He-
rodotus. (β) *Calce* itidem, ubi nulla suppeterent ad condiendum
aromata, corpora obducta fuere, ut ejusdem vi à putredine incor-
rupta permanerent. Et observatu sane oppidò dignum est, quod
de Maximiliano I. Imperatore referunt Historici, qui testamento
cavit, ut corpus suum sine ulla exenteratione humo mandarent,
& loco aromatum *vivam calcem* adhiberent, ut corpus putredine
natum, eâ quoque consumente materiâ citius in terram suam re-
verteretur.

(t) Corippus
de laud. Ju-
stin. min. l.
III.

(u) lib. III.
dier. gen. c. 2.
(x) loco cit.
(z) lib. I. c.
8. p. 61. seqq.

(a) Exod.
XXX. 23.

(β) lib. III.

VII. *Unctio*

VII. *unctionis forma* non consistebat in illo actu, qui in unctionura corporum vivorum fuit observatus. Hujusmodi enim unctiones etiam usurpatae fuerunt antiquitus apud Ethnicos, ubi in ludis ac contentionibus Olympiacis in arenam descensuri oleo inungebantur, ut ad pugnandum alacriores essent, uti constat ex Athenaeo. (γ) Et cecinit Virgilius, Phoebus ille inter Poëtas, hæc de re ita: (δ)

(γ) l. IX. c. 16.
(δ) lib. III. Aeneid.

Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati focii. --- --- ---

Videatur Johan. Jacob.

(ε) p. m. 1103 n. 12.

Speidelius id Speculo Juridico - Politico - Philologico - Historico (ε) Neque etiam consistebat in consecratione ad officium. Si quis enim apud veteres ipso unguento perunctus esset sacro, tanquam virtute inde conceptâ, etiam ipse rex fiebat, aut Propheta, aut Pontifex, dicente Clemente Rom. (ξ) Sacerdotes etiam, reges & Prophetas in V. T. oleo unctionis sancto ad officium suum esse consecratos sacrae passim testantur paginae. Neque etiam tandem hic honor exhibebatur in convivio, ut forsitan Judaei adseverant. Quoties enim excipiebant convivas honoratiores, quos splendide tractare volebant, eos perfundebant vel balsamo vel aliis unguentis fragrantibus, ut hoc modo exhilararentur. Quo de plura legimus apud Magnificum Dn. D. Geierum. (η) Sed consistebat solum actus ille in eo, ut *sepulturam* praenotaret; & hinc à nobis vocatur *unctura sepulcralis*, *feralis* item & *mortualis*. Ex quo patet, instituti nostri non esse, agere *de unctione corporum vivorum*, quocumque etiam veniant nomine, multò verò minus *de unctione Pontificiorum*, quam vulgò *extremam* vocant, eos, qui in extrema vitae tegula sunt constituti oleo inungentes; sed de unctione in sepulturae ritu adhibita.

(ξ) l. 1. Recognition. Ruff. Interpr.

(η) In Disputatione Philolog. Hist. de veterum Ebraeorum ratione coenandi.

Quum denique omnibus rebus, quascumque etiam suscipiamus, certus aliquis *finis* à nobis soleat constitui; non est, cur existimemus, antiquos hujus unctionurae, quae non sine magnis fiebat sumptibus, rationibus planè fuisse destitutos. *Causam* itaque unctionis aut conditurae defunctorum corporum, ut praevium habemus Excellentissimū Dn. D. Aegidium Srauchium (θ) statuimus habuisse *triplicem* 1. *Physicam* s. *naturalem* 2. *politicam* s. *civilem*, *mythicam* denique & *spiritualem*.

(θ) in Disputatione peculiari hist. de antiquo funerū ritu §. 2.

IX. *Causam*

IX. *Causam* quod attinet *Physicam* s. *naturalem*, hanc finem unctio feralis instituebatur, ut cadavera à corruptione & putredine diutiùs servarentur immunia. Verùm enim verò licet corpora humana, terrae mandata, plerique omnes statuunt putrescere, CLmus tamen *Platerus* negativam defendendam amplectitur. Rationes, quibus innititur, videantur in *Anthropologia Physica* B. nostri *Sperlingii*. (i) Cui sententiae *Plateri* & nostrum, si intelligatur de naturali morte extinctis, addimus calculum. Nec enim ibi datur causa efficiens putredinis, nec subjectum capax & idoneum. Deest videlicet humidum, deest calor ambiens. (i) l. 2. quæst. 4. p. 318. & 319.

X. *Causa politica* s. *civilis* hæc erat, ut, quos vivos ob status sublimitatem magni fecimus, eorum quoque corpora defuncta reverenter haberemus; utque ita condita sint cognatis, ad virtutes ipsorum imitandas monumenta & incitamenta. *Aethiopes* quoque exanima corpora vitro operta, ita, ut integra spectentur, & posteris spectaculo sint, ad servare, *Alexander* ab *Alexandro* tradidit. (u) (u) lib. III. c. 2.

XI. *Causa* denique *mystica* & *spiritualis* est, ut istiusmodi unctura esset testificatio fidei de resurrectione corporum, & symbolum à *Θάνατος* seu incorruptionis futurae. Consulatur *Caspar Sibelius*. (λ) Sed à profanis digredimur ad sacra. (λ) Tom. III. Oper Theol.

CAPUT III.

De.

*Ritus hujus ad corpus Christi demortuum
accommodatione.*

POSITIO I.

Hunc ipsum ritum, de quo in praecedentibus capitibus operose satis egimus, in sanctissimo SALVATORIS NOSTRI corpore observatum quoque fuisse, non pauca in historia Evangelica exstant loca evidentissima. Quod enim instanti passionis & mortis suae horâ in convivio *Bethaniensi* unctus fuerit, ab Evangelistarum Triade, *Matthaeo* (u) *Marco* (v) & *Johanne* (ξ) verbis expressis recitatur. (u) c. XXVII. 7. (v) c. XIV. 3. (ξ) c. XII. 3.

II. Si verò inquirimus in personam ungentem, Evangelistae in eo conveniunt omnes, unctionem illam à *faemina* fuisse peractam

B

(o) lib. III.
hist. c. 21.

actam, ipsius verò nomen singuli non exprimunt. A *Matthaeo* & *Marco* unctrix haec vocatur *ῥοῦν*, & communi hâc adpellatione sunt contenti. *Johannes* verò, qui ultimo loco inter Evangelistas scripsit, teste Eusebio (o) nomen hujus mulieris, ab aliis praetermissum, exprimit, quod videlicet fuerit *Maria*, *Marthae* & *Lazari* soror, fidelis illa Christi *μαθήτρια*, ut eam Chrysostomus adpellat.

III. *Materia*, quam in unctura Salvatoris mulier haec adhibuit, fuit *unguentum nardinum*. A *Matthaeo* in genere vocatur *μύρον*, per quod verò ne utiqvam intelligenda compositio illa spissa & tenax, quae in *Pharmacopoliis* unguenti venit nomine, dicitur enim hoc unguentum *effusum* super caput Christi; sed fuit tenuis liquor ac succus ex herbis odoriferis, potissimum verò *nardo* pressus, quò utebantur ad irriganda corpora propter odoris suavitatem ac spirituum refectionem in conviviiis solennioribus. LXX. Interpretes nomine *μύρον* itidem utuntur pro *aroma*, *species odorifera*, *odor pretiosus* Cant. IV. 14. à quo sine dubio Germanicum nostrum *Biesem* suam traxit originem. *Marcus* verò & *Johannes* *nardum*, ex qua unguentum illud erat confectum, vocant *πικρὸν*. In qua voce si quis Grammaticis crucem fixam dederit, nihil à vero alienum dixerit. Sunt enim hujus vocis tot variae acceptiones, quot ejusdem interpretes. *Casaubonus*, *Beza*, *Tosfanus*, *Maldonatus* & alii *πικρὸν* vertunt *liquidam* *πικρὰ* *ἢ* *μικρὸν* vel *μικρὸν*, quasi dicant *potabilem*. Sed à *πικρὸν* non est *μικρὸν*, sed *πικρὸν* potabile, sicut *Aeschylus* vocat *Φαίρανα* *πικρὰ* non *μικρὰ*. Nos forsitan non errabimus, si *nardum* *πικρὸν* à loco ita dictam adferamus. Constat enim ex *Athenaeo*, prope *Babylonem* fuisse oppidum, *Opis* dictum, ubi pretiosissima nardi unguenta confecta & in alia loca transportata. Inde igitur optima & pretiosissima nardus dicta fuit *Opistica*, & per *aphaeresin* *pistica*, ut notat *CLmus Joh. Hartungius* in *Criticis*. Ut ergò fasciculus myrrhae ad passionem: ita nardi odor ad unctionem passionis & sepulturae praeviam haud in scitè accommodatur.

IV. *Causam*, ob quam *SALVATORIS NOSTRI* corpus unctum fuerit, indagare possumus de facili. Nimirum non *αἰτίως* ita *καὶ* *ἀδίκως*, ut infame facinorosi alicujus cadaver humanum fuit *Christus*, sed decenter atque honorificè funerari debuit.

buit. Et hanc ipsam causam respexit Christus ipse, quando à muliere unctus, βαλῶσα, ait, αὐτῇ τὸ αὔρον ἔγραψε ἐπὶ τοῦ σώματος μου πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν (π) hoc est, ut vertit vulgatus Latinus: quòd haec unguentum hoc misit super corpus meum, ad sepeliendum me fecit. βαλῶσα, inquit, misit h. e. effudit hoc unguentum. Syrus habet verbum נדל projecit super corpus meum; id fecit πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι ad sepulturam meam praenunciandam. Notanter utitur vocabulo ἐνταφιάζειν, non verò θάπτειν. Significat enim illud sepulturam praeparare, id quod fit corpus mortuum lavando, aromaticis unguentis illinendo ac linteis denique involvendo. Et hanc ipsius pietatem Christus ipse depraedicat, ἔργον, inquit, καλὸν ἐργάσατο εἰς ἐμὲ ut Matthaeus habet (e) Quibus verbis aequidem non denotat opus simpliciter bonum, sed egregium saltem ac pulcrum, omnium laude & commendatione dignum. Sicut etiam Syrus vocat opus נדל נדל decorum & elegans & μελωνυμικῶς gratum ac laudabile, quia quae pulcra, eadem & grata sunt. Marcus addit προέλαβε μύρισαι h. e. προσέφθασα praevenit, praecuravit ungere corpus meum ad sepulturam; vel, ut Theophylactus in Commentario suo explicat προῦπῆσα τὴν τῶ σώματος (αφὴν καὶ θάνατον. Quia enim sciebat, Christum propediem moriturum, ac verebatur, ne officium unctionis mortuo impendere per rabiem Pontificum prohiberetur, ideò vivo hunc honorem exhibere & unctione suà sepulturam quasi praefigurare voluit. Unde etiam Syrus addit adverbium tanquam. Ideò ad hunc finem unguentum istud adservavit, jam verà totum pretiū maximi unguentum in eum effudit, nihil reputans nimium, quod tanto ac tam grato hospiti impendere posset. Hinc etiam Marcus non utitur voce χρίσαι, quod est quomodocumque ungere, sed μύρισαι, quod propriè est unguentis aromaticis & odoratis ungere, quales unctiones ἐν τῷ ἐνταφιασμῷ s. in praeparatione ad sepulturam adhiberi solebant. Et tantum de unctione, quae Salvatori in convivio Bethaniensi à muliere fuit exhibita. Nunc delabimur ad aliam.

V. Sacratissimum Salvatoris nostri demortuum corpus antequam sepulturae traderetur, de more aromatibus conditum fuisse, unguentisque perfusum, Evangelista Johannes locupletissimis

(σ) c. XIX. verbis testatur, (σ) ita dicens: ἦλθεν ἔν (nimirum Joseph) καὶ ἦε
 39. 40. τὸ σῶμα Ἰησοῦ. Ἠλθε δὲ καὶ Νικόδημος, ὁ ἐλθὼν πρὸς τὸν Ἰησοῦν
 νυκτὸς τὸ πρῶτον, φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλοῆς ὡσεὶ λίτρας
 ἑκατὸν. Ἐλαβὸν ἔν τὸ σῶμα Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀδονίοις μετὰ
 τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἐστὶ ἐν τοῖς Ἰουδαίοις. Juxta Vulgatam
 Latinam ita: venit ergo (scilicet Joseph) & tulit corpus Jesu. Ve-
 nit a. & Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primam, ferens
 mixturam myrrhæ & aloes ad libras ferme centum. Acceperunt er-
 go corpus Jesu, & ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos
 est Judæis sepelire.

VI. Jam penitiori paulò oculò contemplantur memora-
 tos sepulcræ Christi curatores, vel, ut antiquis dicebantur, pol-
 linctores. Quæ verò & unde sic dicantur, nec dum inter eruditos
 convenit.

VII. Primo a. loco Johannes contemplandum nobis ex-
 hibet Josephum, ὁ ἀπὸ Ἀρμαθαίας (scilicet ὠν) πόλεως τῶν
 (τ) Matth. Ἰουδαίων (τ) qui non dubitavit sese non solum fautorem, sed & pol-
 XXVII. 57. linctorem demortui Jesu publicè profiteri. Nam corpus Jesu a
 (υ) c. XV. 43 Pilato petiit, ac potestatem sepeliendi illud impetravit. Evan-
 (φ) c. XXIII gelistis Marco (υ) & Lucae (φ) describitur, quod fuerit vir Sena-
 50. toriâ dignitate illustris. Erat enim si non ex Synedrio magno, certè ex senatu urbis Hierosolymitanæ. Hinc utriq; dicitur βελευ-
 τὴς senator. Syrus retinuit vocabulum Graecum ἀνητῆρ quem
 Ebraei aliàs vocare solent פְּרִיִּי Consiliarium. Latinus Interpres
 vertit: decurio. quod h. l. non denotat nomen officii militaris, sed
 dignitatis senatoriæ in civitate. Qui enim Romæ dicebatur Sena-
 tor, in municipiis adpellabatur decurio. Sed de Josepho huc
 usque.

IX. Ad alterum nunc Christi pollinctorem, Nicodemum
 videlicet, paucis nos convertimus. Veritus hic Collegarum suo-
 rum odianoctu ad Christum (πρῶτον, primâ duntaxat vice) venisse
 dicitur. Postea v. in publico Senatu ipsum confessus est, & idcir-
 (χ) Job. VII. cò Galilæus, h. e. Christi Galilæi discipulus, audire cogitur. (χ)
 50. 52. Post Salvatoris mortem addictum ipsi esse, reapse comprobatur,
 dum ad sepulturam honorificè ei perficiendam myrrhæ atque aloës
 centum circiter libras, juxta fontes ὡσεὶ λίτρας ἑκατὸν commer-
 catur.

atur, & in funerando sancto corpore Josepho suam operam
adjungit. Ubi verò notandum, quòd vocabulum λίτρας hìc
loci non accipiendū sit de *centenario pondere*, Germanis deno-
tans hundert Pfund. Quì enim tot librae ungenti (ein gantzer
Centner) in unum corpus ungendum infumi possent? Et quo-
modo Nicodemus tantum pondus, quòd hìc de eo dicitur,
ferre potuisset? Sed accipiendū id est de *genere numismatis*. De-
notat enim ἡ λίτρα praeter significationem librae, ut ponde-
ris, certum etiam numismatis genus, quòd *obolus* vocatur *Ae-*
gineticus. Fuerunt ergò λίτραι ὡσεὶ ἐναλὸν illius μίγμα
mixture talis, quae centum obolis Aegineticis comparata erat,
ut hoc adnotavit Erasmus Schmidius in Animadversionibus ad
N. T. (ψ) Et tantum de *pollinctoribus*.

(ψ) c. XIX.

I. X. *Unguenta*, quibus sanctissimum Christi corpus un-
xerunt, seu potius *aromata*, ex quorum mixture unguentum
unum conficiunt, Johannes praememorato loco ad *duas species*,
myrrham scilicet & *aloën* revocat. Ubi verò myrrha & aloës
non seorsim accipiuntur; dicitur enim μίγμα σμύρνης καὶ
αἰλῶνς h. e. mixture myrrhae & aloës, ut adnotavit Heinsius in
Aristarcho sacro. (a) Adducit a. Johannes duas hasce species (a) p. 2. c.
ut sumtuosiores & in hac mixture dominantes praecipuè, ut 15. p. 955.
observat B. Gerhardus in Harm. Evangelica. (a) Ambo enim (a) c. 2056.
recensita haec aromata quum sint succi amarissimi, vimque ha-
beant vermibus & putredini resistendi; hinc ad usum ungen-
dorum mortuorum optima habebantur. Nec enim Judaei
modò, sed & Aegyptii, Syri, Arabes aliaeque nationes ex in-
veterata traditione myrrhâ & aloë munire solebant cadavera.

Joh. v. 39.

X. Et ne quis in eam prolaberetur sententiam, ut putet,
Josephum & Nicodemum hanc uncturâ suâ insoliti quid susce-
pisse, notanter addit Johannes: καὶ θὰς ἐδὲ ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις
ἐν τῷ Φιλιάζειν h. e. sicut mos est Judaeis sepelire; vel ut Nonnus
effert:

Ὡς νόμος Ἑβραίοις ἐπιτύβια θείμα φυλάσσει. Ipso-
rum itaq; liberalitas neququam est improbanda. Observant
n. hoc suo opere patriam consuetudinem, ac testantur, se ho-
nificè de Christo sentire, dum eò modò illum sepeliunt, quòd

B 3

hono-

honoratissimi & spectatissimi viri apud Judaeos sepeliri consueverant. Sed quicquid sit, infirmitas aliqua fidei subesse videtur, quod aromaticis unguentis eum à putredine praeservare cupiunt, qui tertio die erat resurrecturus, & quem impossibile erat

(b) Act. II. à morte captivum detineri & corruptionem videre. (b)

24. Psal.

XVI. 10.

(c) c. XVI.

1.

(d) Luc.

XXIV. 1.

XI Pauca nunc dicenda restant de mulierculis, quae corpus Christi sepulcro jam reconditum sedulo perungendum quae siverunt. A Marco (c) tres earundem recensentur, inter quas prima ipsi vocatur *Maria Magdalena*, altera *Maria Jacobi*, tertia *Salome*. Reliquarum non fit diserta mentio, sed in genere additur (d) *τινες οὐν αὐταῖς*, quae verba in vulgata versione Latina sunt omisa. Possent autem tum de viris, tum de mulieribus accipi; sed quia versu 10. additur explicatio *αἱ λαοπαῖ οὐν αὐταῖς reliquae cum illis*, ideo in faeminino vertendum, quaedam cum illis. Quot autem numero harum fuerint, exactè non constat.

XII. *Μυροφόροι* haec mulieres *aromata*, ut Marcus l. c. refert, *emerunt, ut venientes ungerent Jesu*. Hujus sui excursus bonā sanè intentionē ac finē bonū sibi habent propositū. Neque enim deambulatū, multò minus cōmesatū exeunt, sed Christū Salvatorem suū quaerunt, ipsique extremum honorē, corpus ungerendo, praestare desiderant. Ideò etiam secum ferunt *ἀρώματα καὶ μύρα*, quae ex aromatibus, die parasceves emtis, exacto sabbatho paraverant. Et licet corpus Domini jam ante à Josepho & Nicodemo unctum novissent; horum tamen unctio quia rudis fuerat & extemporanea, accuratiorem & sumtuosiorē meditantur, non ad animum sibi revocantes *grande saxum*, quod à Josepho & Nicodemo sepulcro impositum ipsae viderant, ut patet ex Matthaeo (e) Marco (f) Luca (g) & cui removendo se noverant impares, quum fuerit *λίθος σφιδρα lapis valde magnus*. Nihilò verò minus *summo mane*, quum adhuc tenebrae essent, civitatem egrediuntur; (nam pacis tempore Hierosolyma non erat clausa, sed portas habebat noctu ac interdiu patentes) & unā omnes alacres ad sepulcrum pergunt, neque quicquam à proposito suo deterreri se patiuntur, ut, re infectā, retrocedant. *Sepulcrū a. ingressae* (nam in regionibus Orientalibus ita exstruebantur sepul-

(e) c. XXVI

61.

(f) c. XV. 47

(g) c. XXIII.

55.

sepulcra, ut per gradus in illa descendi posset,) non inveniunt corpus Christi, cujus unguendi causâ advenerant. Turbantur igitur & contristantur, suspicantes à Judaeis, Christi hostibus, instinctu Pontificum illud sublatum atque aliò deportatum esse. Ita sc. tristis aspectus Christi in cruce pendentis impleverat oculos & corda earum, ut velut lethargo quodam oppressae non recordarentur, quid Christus de passione, & resurrectione sua *quingvies*, ut ex Evangelistis colligitur, concionatus fuerit.

XIII. Interim tamen earum institutum est *laudandum*, quòd, quem in vivis docentem audierant, & miracula edentem viderant, eum etiam extinctum amant, & pro more regionis corpus ejus ungere volunt, ut sese gratas exhibeant, quum alio officii genere studium & amorem suum erga Christum declarare non possint. *Improbandum* verò est ex ea ratione, quòd immemores praedictionum de resurrectione Christi, *corpus ejus, nulli unquam corruptioni futurum obnoxium*, aromatibus suis à corruptione praeservare satagunt.

XIV. In descriptione verò *temporis*, quò mulieres hae *μυροφόροι* ad sepulcrum Christi venerint *ἐν αὐτῷ φάσματι* apud Evangelistas occurrere videtur. Marcus enim (h) ita habet: *καὶ λίαν πρῶτὸ ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον ἀναλείλαντος τῆς ἡλίου*, quae Erasmus ita vertit: *Et valdè mane veniunt ad sepulcrum, exorto Sole.* Existimat autem B. Gerhardus in Harmonia Evangelistarum (i) quòd vocabulum *ἀναλείλαντος* minus rectè vertatur in *praeterito*, ac si Sol jam ortus fuisset, quum illud non *praeteriti*, sed *indefiniti* sit temporis, adeoque non intelligendum de *Sole jam exorto*, sed potius de *Sole ortui proximo*. Hinc etiam addit, quòd quidam Codices legant *ἀνατέλλοντος*, *oriante Sole*, hoc est, *jamjam oriuro*. Graecae enim linguae cultores non nesciunt, *Participium praesens* non raro accipi ac intelligi de paulò post futuro. Unde & Glosa Ordinaria ex Augustino (k) ita exposuit: *quum jam caelum ab orientis parte albesceret*, id quòd fit Solis orientis vicinitate. Et Lyranus *orto Sole* hòc modò interpretatur, quòd Sol ad ortum jamjam adpropinquaverit, ita, ut *orto Sole* idem sit, ac *Sole ad ortum jam adpropinquante*. Sol enim *dupliciter* oriri intelligitur, uno modo *perfectè*, quan-

(h) c. XVII. 2

(i) c. 207. p. 2087.

(k) l. 3. de consensu Evangel. c. 24

do

(M) c. XXIV. do primo egreditur & adparet super terram; alio modo, quando scilicet lux incipit adparere in aurora. Hinc Lucas etiam (1) tempus sic describit, quod factum sit ὁρθεγ βαθεθ, profundo mane, quod Syrus ita vertit: *in aurora, quum adhuc essent tenebrae.* Johannes (m) factum id esse dicit, πρὸ τῆς ἡμέρας ἐν ἔσπερ hoc est, ut vulgatus Latinus vertit: *mane, quum adhuc tenebrae essent.* Non profundae illae quidem αεσωνηθια, sed luci proximae, quas *crepusculum matutinum* excipit. Collatis itaque fontibus Evangelistarum tria amicissimè inter se conspirat.

XV. Disfertationis hujus nostrae coronidem haec imponat quaestio: *anne corpus Christi demortuum dicendum sit cadaver?* R. Beza (n) corpus Christi demortuum propriè sic ditione N. T. ctum cadaver dici posse existimat, ut & Chamier (o) & Rivetus. (o) l. V. de (p) Ex Pontificiis easdem cum his tibus inflant Gregorius de Valentia, (q) Cajetanus, Salmeron & alii. Quò verò minus cum his omnibus faciamus cadaveris descriptio & testimonia Sacra, quae allegasse liceat, obstant. Nam Psal. 16, 10. Act. 2. v. 27. dicitur, quod

XVI. Christo non visurus sit *διαφθορὰν* corruptionem. Quomodo ergo Christi corpus cadaver dici possit, corruptibile quum non fuerit, non video. Alias insuper rationes Theologi nostri supeditant pasim. Sed nos, ne *ἐν ἀλλοπίῳ ἡρώ πῶδα* posuisse videamur, manum de tabula.

SOLI DEO GLORIA.



05 A 535

ULB Halle

3


004 208 285



6077







DISSERTATIO HISTORICO-
PHILOLOGICA
De
UNCTURA
CHRISTI SEPUL-
CRA LI,
QVAM
EODEM IPSO AUSPICE,
IN
ALMA LEUCOREA,
SUB
PRAESIDIO
VIRI PRAECELLENTIS ATQVE
CLARISSIMI,
DN. M. CHRISTIANI FASELTI,
SERENISS. ELECT. SAX. ALUMNI, AMPLISSIMAE FA-
CULTATIS PHILOSOPHICAE ADJUNCTI MERITISSIMI,
PRAECEPTORIS ATQVE FAUTORIS SUI OBSERVANDI,
PUBLICAE ERUDITORUM VENTILATIONI EXHIBET
ADAMUS U^{SS}/ PLAVIA-VARISCUS,
AUCTOR ET RESPONDENS,
AD DIEM HEBDOMADIS MAGNAE VI. QUI EST IX. APRILIS,
HORIS POMERIDIANIS
IN AUDITORIO MAJORI.

Typis MICHAELIS Wende/
ANNO M. DC. LXIX.